



Samelbd.

010

Ne,

69
DE
GERMANA SCRIPTORVM
CLASSICORVM INTERPRETATIONE
NOXIA MAGIS QVAM FRVGIFERA

PROLVSIO

QVA

AD SOLEMNEM IN DICENDO EXERCITATIONEM
DIE LYCEI TORGAVIENSIS NATALI

BENIVOLE AVDIENDAM

HVMANISSIME INVITAT

M. CAROLVS HENRICVS SENTENIS

RECTOR

SOCIETATIS LATINAE IENENS. MEMBR. HONORAR.

LIPSIÆ
LITTERIS IACOBÆERORVM

CIDIOCLXXXII.

1782

GERRMANIA SCRIPTORVM

CLASSICORVM HISTORICORVM

NOVA MENSURA QVAE REPERTA

PROLVISIO

ATA

ALSO CONTAINS THE HISTORY OF THE

EMPERORS OF THE ROMAN EMPIRE

FROM THE FIRST TO THE LAST

BY M. C. H. H. H.

M. C. H. H. H.

RECTOR

OF THE UNIVERSITY OF LEIPZIG

LEIPZIG

LEIPZIG





Historicae monumentorum cognitioni qui aliquam modo indu-
striam assiduitatemque impenderit, ut non modo res gestas,
factaque notatu dignissima memoriae imprimerent, sed etiam mo-
menta illorum, et, quae illa secuta sunt, necessaria mentis sagacitate
perquirent, iis omnino omnibus cognitum perspectumque est,
CONSTANTINVM PORPHYROGENNETAM insituto illo, quo
praestantissimos optimorum scriptorum locos coarctari, atque peran-
guste singulis in libellis referciti iusserit, ipsis literis bonisque artibus
damnum intulisse perniciosissimum. Paucis illis, iisque praeclarissimis,
Caesaribus erat annumerandus, qui turbulentissimis regni orientis
temporibus omne studium omnemque operam ad id conferebant,
quo Musarum sedem suis in regionibus magis magisque confirmarent,
illaque confirmata impedirent, quo minus *occidentis barbaries, exse-
cranda ista elegantiae hostis, atque pestis,* orientem inuaderet, *Ara-
besque* soli essent, qui eruditionis doctrinaeque Vindices Statoresque
praedicarentur. Patris, LEONIS PHILOSOPHI, atque aui, BA-
SILII, vestigia premens, literarum studiis se totum consecrarat,
animusque eius tanta tamque insigni rerum, ad *imperii administratio-
nem pertinentium,* intelligentia erat imbutus, ut utilissimos libros, hanc
scientiam spectantes, posteritati traderet. Sed pro vehementissimo
illo, quo in Musas, earumque cultores ferebatur, amore, cum non
sine grauissimo dolore atque luctu animaduerneret, *verae humanita-*

tis studium in ciuium animis sensim sensimque refrigescere, suumque exemplum hand adeo multum ad excitanda illorum ingenia conducere, collectionem illam locorum praecipuorum ex scriptoribus antiquis instituentiam curabat, sed usus edocuit, hanc curam, quamuis ex purissimo fonte emanaret, ipsis literis fuisse maxime pestiferam. Consilium enim, quod sequebatur, saluberrimum erat, atque, ut constat, cernebatur in eo, ut ciues maiori literarum studio suauitate ad integrorum eiusmodi scriptorum lectionem alliceret, sed multum abfuit, ut euentus operis eius responderet. Res longe aliter cecidit, negligebatur non solum horum librorum consuetudo atque familiaritas, sed multos etiam illorum, quia ipsorum breuiaria pluris aestimabantur, temporis nobis rapuit atque abstulit inuidia, adeo, ut CONSTANTINI consilium eruditioni *vulnus infligeret crudelissimum*. Nostri temporibus CHRESTOMATHIARVM, quae dicuntur, infelicissimum studium rediit, illarumque numerus tantopere iam auctus est, ut multi eruditorum reperiantur, qui eandem scriptorem tam graecae, quam romanae antiquitatis, varia ac diuersa ratione dilaniarint atque dilacerarint, utque magistris, qui recentiori, siue iucondissima suauissimaque disciplina, in hortis *Lucretis*, pueros ac iuuenes formare constituerint, multae molestiae in eligendo tali libello creentur, dubiis atque ignaris, quis alteri sit praefendus? Non est, quod centies iam dicta repetam, ipsi praefones istiusmodi centonum (siue *Chrestomathiae*, siue *Breuiaria*, siue *Fasciculi* nominentur) contententes, puerorum ac iuuenum mentem multo debiliorem esse, quam quae integram orationis contextae seriem, eiusque ambitum comprehendere possit, eo ipso negant, se, *nisi fortasse nostrae aetatis pueri maiori cum stupore, quam ante triginta annorum spatium, a parentibus in lucem edantur*, dotibus illis exornatos esse, quae in accommodandis ad captum puerilem atque iuuenilem scriptoribus sint necessariae, quaeque efficere possint, ut disciplinae alumni vniuersum cogitandi auctoris ordinem perspiciant, venustatemque toti loco extantem, mente sensuque percipiant. Quod vero accuratioris eruditionis amanissimum cuique verendum est, id positum est in eo, ne superfluis, imo noxiis istis libellis, *pinguiori Minerva conscriptis*, iuuenes nostri ab integrorum antiquitatis scriptorum le-

ctione

ctione auocentur, et, qui aliquam saltem ingenii iuuenilis cognitio-
 nem tenet, is facili negotio intelligit, hunc metum a recentioribus
 scholarum emendatoribus *iniquissime* derideri. Quamquam enim
 magna integritatis simulatione in praefatiunculis horum opusculorum
 suspicionem a se remouent, se vnquam iuuenes ab arctiori horum
 librorum familiaritate retinere, et cohibere voluisse, animi tamen
 iuuenilis indoles per se ita est comparata, vt maiori procliuitate ad
iuuenciora incumbat. Fieri non potuit, vt venerandae vetustatis scri-
 ptores semper et vbique locorum diuinitus concitato animi motu at-
 que impulsu vehementiore scriberent, aut lectores admiratione qua-
 dam explerent, rebusque, sensibus expositis, et phantasiae inflaman-
 dae aptis, permulcerent. Multa nonnunquam erant inferenda, quae
 vberiori descriptioni inferuirent, aut digressionis ope maiorem lucem
 afferrent, quaeque non fuissent omitenda, nisi praestantissimi illi
 Viri aut obscuro, aut parum absoluto modo res tradendas explicare
 voluissent. Haec omnia quidem lectoribus occasionem praebent,
 vbi conquescant, animosque relaxent, quid? quod, ea, quae praec-
 cesserant, veluti cum strepitu legentium animos secum abripuerant,
 haec vero, leniter desluentia, tempus illis concedunt, quo se colli-
 gant, sed, quia oratione languente ac prope dormiente, *quamuis*
venusta, quamuis dulci, sunt intexta, iuuenum in animis non relin-
 quunt aculeos, sterilia atque indiserata illis videntur, vt cum contem-
 tu atque indignatione quadam *ipsos scriptores* abiciant, illisque ab-
 iectis, CHRESTOMATHIAS suas exosculentur. Quorum vero
 haec dispero? quid mihi cum CHRESTOMATHIIS? cur CON-
 STANTINI PORPHYROGENNETAE mentionem feci? Aetas no-
 stra, tot sapientiae radiis collustrata, vt non nisi maxima cum com-
 miseratione maiores dolendi nobis videantur, *horrendum* fert pro-
 ventum illiusmodi virorum, qui, *tanquam sanioris saporis, siue sen-
 sus restitutores*, hunc infelicissimum ingratiissimumque laborem su-
 stinent, vt *scriptores*, quos *classicos* nominamus, in linguam patriam
 transferant, hinc mecum sic cogitavi: quid? *fortasse ille Caesar in*
vitam est reuocatus, qui non salubriori iussu, aut saltem incitamento,
hoc studium iniungeret, quiue, *hac spe deceptus*, fore, vt bonis literis
 Germanorumque ingenii optime consulat, ipsi eruditioni accuratori
 detrimentum inferret nunquam restituendum! Sit tamen reuocatus,
 CHRESTOMATHIAS
 A 3
 sermo,

sermo, *de folio* auditus, longe minorem auctoritatem habeat, quam si ex coelis fuerit perceptus, faciliores Musae unicuique cultorum suorum eandem cogitandi sentiendique libertatem largiuntur, non curantes ullam differentiam, quae inter illos, *externae conditionis ratione habita*, intercedat. Ego CONSTANTINI iussu nunquam incitari, nedum cogi me patiar, ut otium studiumque meum in conficiendis eiusmodi interpretationibus collocem, quia certissime persuasum habeo, nihil amplius restare, quo Barbaries ista, tam feliciter proscrip- ta olim et propulsa, reuocari possit ad pristinas sedes rursus occupandas, nisi illorum conatibus, qui in germana scriptorum graecorum romanorumque explicatione occupati sunt. Hinc mihi in praesentia animus est, ut contra omnes in uniuersum viros, qui infauso illo labore verae et diligenti eruditioni vulnus insigunt nunquam sanandum, firmissimis argumentis comprobem, eiusmodi versiones, quae satis barbare vocentur, *noxias magis esse, quam frugiferas*. Ordo, quem in rebus tractandis seruabo, hic est, primo recensebo omni integritate commoda illa, quae ex illis interpretationibus redundare putantur, deinde planum faciam, haec commoda non vera esse, sed opinata, illisque nil, nisi solam utilitatis speciem inesse, tum alia, ab illis longe diuersa, momenta, quae eruditos ad transferendi negotium impellunt, afferam, sed ita, ut postremo declarem, omnia haec emolumenta non esse tanti valoris tantique pretii, ut damnum compensent, quod literis atque artibus vere important. Pecuniae lucrandae studium his difficilioribus temporibus nostris tam feruens, tamque plenum est sollicitudinis, ut facile praeuideam, fabulam, si stomachus latret, furdus narraturum me esse auribus, sed peritioribus, et exquisitae doctrinae, non sordidi lucri, amantioribus viris ut probarem, hoc vnum fuit, quod ad scribendam hanc prolusionem me incitauit. Quod nisi frustra sperauiero, largissimum reprehensionis, qua alii haud indignus videbor, reportabo praemium.

Nec quidquam est, quod, nisi utilitatis saltem speciem prae se ferat, plurimorum hominum gratiam captet, grauissimumque commendationis pondus, quod hominum animos ad quoscunque labores pronos reddit, cernitur in commodo, ex re commendata sperando. In statuendo cuiuslibet rei pretio non semper tantum est hominibus in iudicando

iudicando acumen, tantaque mentis cautio, quin nonnunquam falsa
 quadam spe decipiantur, hinc omnes rerum recens inuentarum aucto-
 res id modo curant, vt magna verborum copia atque orationis vber-
 tate *emolumenta illa* augeant et amplificent, quae cum ipsorum inuen-
 tiunculis sint coniuncta, et statim animaduertis, quam facile homi-
 nes allici possint, ad assensum coeco quodam impetu praebendum.
 Quae huc vsque ab *iniquissimis istis veteris disciplinae scholasticae cen-*
soribus ficta et excogitata sunt, non omnia non magis *nouitatis*, quam
utilitatis, specie multorum hominum animos sibi conciliarunt? ple-
 no ore collaudarunt et praedicarunt sapientiores isti *varia illa bona*,
 quae ex ipsorum palaestrae emendatione, veluti ex fonte purissimo,
 emanarent, et paucos inuenies, quibus haec laudes suspectae videan-
 tur. Idem in praesentia dixerim de recentissimo eoque perniciosissi-
 mo multorum eruditorum instituto, quo *germani scriptorum classico-*
rum interpretis partes suscipiunt, et veritatis Humanitatisque studium,
 cui semper consulendum puto, hoc vt publice contendam, non tam
 postulat, quam exigit. Varia sunt, fateor, quae ex hoc labore spe-
 randa nobis commendentur *commoda*, et iam versor in eo, vt illa
 omni integritate recenseam, sunt tamen ita comparata, vt accuratio-
 ri illorum exploratione, quam in sequentibus instituiam, appareat, il-
 lis si *utilitatis speciem* detraxeris, nihil omnino inesse, quo iusta com-
 mendatione digna videantur. *Quatuor* sunt, quae nobis proponun-
 tur argumenta, quorum ope maxima utilitas, ex *eiusmodi interpreta-*
tionibus deriuanda, confirmetur, quorumque *primum* hoc est: *linguae*
patriae laeuitas atque copia augetur, si scriptores classici in eandem lin-
guam studiose et accurate transferuntur. Patriae studiosissimus quis-
 que num luculentiori certiorique documento animi propensionem er-
 ga illam declarare potest, quam si, praeter reliquas eius leges, mo-
 res, instituta, atque disciplinas, illius etiam linguae colendae totum
 se dederit? hostis patriae est, ea qui negligit, quibus vinculum illud
 continetur, quo cum ciuibus tam arcte coniungitur, quique peregrina-
 rarum regionum sermonibus atque ritibus maiorem obseruantiam
 praestat, quam illius, cui praesidium atque tutelam, imo ipsos parentem,
 vitamque ipsam debet. *Laeuitas* linguae, quantum suauitatis af-
 fert, *durities* vero ista atque *asperitas*, quae maxime germani sermo-
 nis propria videtur, quaeque non raro impedit, quo minus voces,
 atque

atque singulae syllabae, si ad compositionem cum aliis torquentur, flexibiles atque tenerae sequantur, quantum excitat fastidium, quamque ingratus auribus, molliori suaviorique aliarum linguarum indo-
 li adsuetis, format sonum! quotusquisque est, quin si in cognoscendis historiarum monumentis tempus industriamque collocarit, in concedendo facilem se praebeat, unumquemque populum, quo maiorem amantiori cultus morumque urbanitati operam dederit, eo studiosiorem fuisse sermonis emendandi patrii, illumque, quidquid laudis atque gloriae literis earumque cultura sequentibus temporibus sibi compararit, id omne studio illi vindicasse, quo linguam vernaculam sordibus atque maculis purgarit? *Copia* vero atque diuitiae linguae, siue abundantia vocum, et maxime earum, quae in usu communi idem significantes putantur, quam necessaria est in vniuersum ad perspicue exprimendas notiones! quid oratori affert in *delectando*, ad fugiendam aurium fatietatem, in *docendo* ad substituenda verbis palaestrae atque olei alia, quae turbae ciuili intellectuque facilliora sunt, et ad euitandam adstrictiorem contractioremque orationem, quam aures populi requirunt! linguae contra paupertas, siue inopia vocabulorum, quam facile taedium atque nauseam iniicit, quamque inepta est ad perimulcendum, feriendum, atque percutiendum! quid inde? sollertissima sane ratione optimo cuique ciui, qui necessaria ad hunc laborem intelligentia est instructus, iniungi meretur studium emendandae et locupletandae linguae patriae, et, quia industria, quae *scriptores classicos eadem lingua interpretatur*, tantum ad leuandum hoc negotium confert, hinc non dici potest, quam indefessa, quamque assidua esse debeat. Hi enim sunt eiusmodi sermonibus vsi, qui admiranda *laetitate*, maximaque *copia* excellunt; ipsique scriptores illi egregii tam teretes religiosasque aures habuerunt, ut vel minimam asperitatem in concursu et compositione vocum quam studiosissime fugerent, abundantiamque vocabulorum, ad analogiam formatorum, in dies fere augerent, ideoque necessario sequitur, ut *germana lingua*, ad horum scriptorum exemplum si, *interpretationis* ops, accommodetur, duritie deposita, sensum sensumque mollior reddatur, eiusque diuitiae magis magisque cumulentur. *Alterum* commodum, quod nobis pollicentur *germanae scriptorum classicorum explicationis* suaefores, versatur in eo: *sensus venusti veterum Graecorum Romanorumque*

rumque scriptis optima et facillima ratione acuitur. Maxima sane, inquit, humanitatis pars, et decus prope omne, quo distamus a bellis, inest primum in sensu illo ordinis atque pulchritudinis, deinde in dictis factisque omnibus, ad illius sensus legem normamque componendis, ita, ut hic sensus ubi viget, ibi omnia accipiant suum ornatum, et non solum morum facilitas, elegantia atque venustas, sed etiam in operibus artis pulchritudo leposque nascatur. Attamen non quisquam erit, qui praestantissimorum vetustatis librorum lectione bene nutritus, tam inhumanus, et ab omni suauitate alienus sit, ut neget, in graecis romanisque scriptoribus summam ingenii humani vim atque mensuram exstitisse, et quidem ita, ut non solum in rebus mente concipiendis, sed etiam in iis, quae cogitarint, exprimerentur, accuratissimi studiosissimique nominari mereantur. In scholarum tenebris non consueverant, longissime remoti a republica, domi forisque administranda, sed earum, quas prodiderunt, rerum, tam civilium, quam bellicarum, magnam prudentiam usu sibi comparauerant, ut quisque illorum erat magnitudine excellentiaque praestantissimus, ita magnificentissimus erat in scribendo, plures annos in conficiendis operibus consumserant, neque prius illa in lucem adspiciamque emisserant, quam peritissimorum censorum iudicio, quibus scripta sua legerant, de communi assensu certiores erant facti, illorum aetas inciderat in tempora libertatis publicae, quae felicissima erant in proferendis summis ingeniis, et, quod maximi momenti est, in omnibus, quae verbis exprimere constituerant, maxima solertia mentis cogitata ad naturae imitationem accommodabant, eoque studii huius, assidua exercitatione, progressi erant, ut quam proxime ad illam accederent. *Hinc* insignia illa *historiae* monumenta, a summis imperatoribus bellicae ducibus, qui in aula regum, et in maximis civitatibus regendis versati erant, prodita, quae humanissimus ac liberalissimus quisque praeferenda iudicat illis, quae ab obscuris, et barbaricis tenebris obuolutis fratribus, qui dicuntur, religiosis, sive monachis, ex ieiunis annalibus, aut mercenariorum, saltem priuatorum hominum, commentariolis nobis sunt tradita, *hinc* eximia illa *eloquentiae* exempla, quae rebus incredibilibus fidem faciebat, quae tam verbis, cuiusque rei magnitudini convenientissimis, quam sententiis, grauitatem suauitatemque afferentibus, audientium animis domi-

nabatur, et vnumquemque nostrum, nisi quem vel a natura insitus, vel a vitis rerumque humilium amore offusus stupor ad eiusmodi venustatis sensum hebetavit atque obduravit, admiratione delectationeque explet, hinc denique illi *poetarum* suavissimi cantus, quos, quia altius, siue sublimius et magnificentius loquebantur, diuinus quidam spiritus adflare credebatur, quique, simul ac virtutis amore vitique odio exarserant, lectores eodem motu agitabant, eundemque sensum in illorum animos transfundebant. Optime igitur de ciuibus suis merentur illi, qui *germanis interpretationibus* libros Graecorum Romanorumque veteres, ex quibus non solum omnis sapientia humana, sed etiam elegantia atque suauitas emanat, explicare constituerunt, quique hac ratione homines tam ad eorum intelligentiam adducunt, quam eiusdem pulchritudinis sensu imbuunt. Sic enim fontes aperiant, ex quibus omnium rerum pulchrarum cognitio hauriri potest, sic mentem a corruptelarum fordibus in iudicanda venustate purgant, sic illi callum, quo obducta erat, detrahunt, sic rudiores adhuc ciues suos, quos omnes reliquae gentes, maxime *Galli*, SPLENDIDISSIMA ILLA INGENIA, magno post se relinquunt intervallo, multo peritiores reddunt, vt, qui eiusmodi *interpretationes* inutiles, qui contemnenda ducit, is non modo iniquissimus, sed stupidissimus, ac prope indignus humanitatis nomine censendus sit. *Tertium* emolumentum, quod ex *interpretationibus* illis proficisci dicitur, versatur in eo: qui nullius linguae, nisi *germanae*, cognitionem tenent, illi *veterum historiae, philosophiae, aliarumque disciplinarum atque artium scientiam eiusmodi auxiliis in suam utilitatem conformationemque convertere possunt*. Omnibus illis, qui, quoniam vitae eruditae se non consecrarunt, linguae graecae et romanae addiscendae studium operamque non impenderunt, neque vllius vnquam sermonis, nisi vernaculi, intelligendi facultatem sibi compararunt, qui tamen in distribuendis animi dotibus naturam fautricem experti sunt, vt, nulla institutione adiuti, sed sola industria suffulti, haud contemnenda ingenii specimina exhibere possent, illis omnibus, inquam, via ad purissimos illos sapientiae venustatisque antiquae riuos est interclusa, quae si omnibus in vniuersum Germanis pateret, ad quam eximiam, eamque communem utilitatem illos duceret! intermedii aevi temporibus cum artes liberaliores in monasteriorum tenebris sepultae iacerent, cumque

cumque sodales diui cuiusdam, iique soli, illarum consuetudine vterentur, quam tristis, quamque lugubris erat reliquorum hominum, ab his religiosis et sanctis collegiis separatorum, conditio, simul ac vero paullo ante Sacrorum emendationem haec benigna literarum artiumque ingenuarum lux ceteris quoque hominibus adfusserat, et in dies laetiores radios spargebat, quo splendore mentis discutebatur caligo! nonne *superstitio* atque *barbaries*, licet non statim penitus propulsae prosciberentur, tamen, pauore percussae, de imminente fuga varia iam pessimefecere coeperunt? quantum igitur esset, quod exinde sperare possemus, commodum, si doctae antiquitatis familiaritas multo latius adhuc pateret, et ne vllus quidem illorum, qui, modo aliquo erectiori ingenio ornatus, eius desiderio teneretur, ab interiori illius consuetudine remoueretur! ad quam altum fastigium eueherent Germanorum ingenia! quem locum inter reliquas gentes occuparent! quantam apud exteros sibi conflarent invidentiam! quam innumera, quorum gloria nunquam esset intermoritura, eederent scripta, quae omnia ac singula ad aurea vetustatis opera quam proxime accederent! vtinam omnes nostri, qui Graecorum Romanorumque linguam calleant, tantopere de ciuibus mereantur, vt libros, ab his populis posteritati relictos, *sermone germano* expriment! vtinam domesticae ignorantiae atque barbarici depulsoris gloria vnumquemque alliciat, qui patriae studiosissimus nominari velit! vtinam haec felicitas nostrae aetati sit reservata, vt cum vnoquoque de HOMERO, PLATONE, CICERONE, aliisque antiquitatis viris erudite disputare possimus, quicum huc vsque *de coeli tantum tempestate*, aut *de rebus, ad vitam sustentandam necessariis, earumque nimio pretio*, loqui potuimus! Sed, ne seria salibus intempestiue condiam, restat adhuc *quartum* argumentum, cuius ope vberimos fructus sperandos nobis comprobare conantur *veterum scriptorum interpretes germani, accuratae*, inquit, *interpretationes mirum quantam conferunt ad felicissimam horum librorum explicationem*. Multa hic saepe tam sunt retrusa, tam perplexa, et tot tantisque difficultatibus involuta, vt ad illa non penetrare, neque illa excutere possit haud mediocriter exercitati viri studium atque industria, maxime, si temporis, ad illa examinanda, diligentiorique perferutatione perquirenda necessarii, premittitur angustis. Ritus illorum temporum atque caerimoniae, mores

atque instituta, ad quae praestantissimi illi scriptores subinde respexerunt, eorumque cognitio ad nostram nonnunquam non peruenit aetatem, facta, et res gestae, ad quas ingeniose mentis cogitata accommodarunt, propterea quod vel in optimis atque locupletissimis historiarum monumentis, aut parum expressa, aut nulla omnino illarum reperiuntur indicia, oblivione extinctae atque deletae sunt, prudentia quadam atque circumspectione in iocando, aut perstringendis fulgentibus in purpura vitis, perspicuitatem metiri studebant, aetatis, quam videbant, iniuria impediti, in rebus ad philosophiam, naturae, coelique contemplationem pertinentibus, singulis quibusdam opinionibus adhaerebant, fabularum tenebris, iisque densissimis, circumfusis, et in ipsis, quibus utebantur, linguis multa consenuerant, quorum in usu sequentibus temporibus difficiliore continentioresque erant, quaeque adeo obscuriora sunt facta, aut nonnunquam tanta breuitate etiam mentem constrinxerunt, ut, nisi expetitam vulgo, et ignaviae non minus, quam inscitiae, opportunam licentiam seceris, quae e verbis, uterque primo ad aspectu intellectis, sententiam fingit, non abhorrentem a suis opinionibus, quaeque nihil omnino est fallacius, ut, inquam, omnia, eaque vel minima, ad praeceptorum subtilitatem, observationumque fidem disciplina quadam seuera ac rigida sint reuocanda. Quis igitur est, quin, si in eiusmodi locos incidit, nonnunquam, tarditatis impatiens, elabi et expedire se saltu aliquo cupiat? quis est, quin, tantis saebris remouendis defatigatus, et penitus subactus, quodcumque subsidium arripiat, cuius ope ad intelligentiam aliquam, et verbis, et rebus contentientem, peruenire possit? *accuratae vero interpretationes, eaque lingua patriae conceptae, cum eiusmodi adiumentum vnicuique humanitatis cupidissimo obserant, non satis laudari potest illorum virorum industria, qui in cutiquitatis scriptoribus transferendis desudare constituerunt.* Felicissimi facilissimae cognitionis adiutores, quid? quod, fontes sapientiae, artisque interpretandi magistri praedicari merentur, dignissimi, quibus gratiae et habeantur, et agantur maxime debitae, imo, quibus iure meritoque contingere debeat, esse tam felicibus, ut statuarum monumentorumque, *aere perenniorum,* splendore ac magnificentia nominum ipsorum memoria ad remotissimam usque propagetur et consecretur posteritatem.

Per

Per me quidem id fieri liceat, quid? quod, ego ipse, quamuis non permotus his *quatuor*, quae iam satis copiose atque fideliter recensui, *argumentis*, tamen, ne aut fastu, qui dicitur, paedagogico inflatus, aut odii atque liuoris rabie incensus videar, promptus paratusque sum, ut, *ad ponenda haec monumenta*, stipem voluntariam offeram. Nam, nisi mihi verendum esset, ne laudi meae nimium inferuisse viderer, integre dixerim, me semper *facilitati* plus dedisse, quam *tenacitati*, et, quotiescunque hominum *merita* cum illorum *inopia* fuerint comparanda, toties *huic* potius indulgisse, quam *illa* suspiciose examinasse. Laudibus igitur exornentur, imo praemiis afficiantur *germani scriptorum classicorum interpretes*, quot quantisque digni vnicuique videantur, ego, si quaestio fuerit mota: *num praemia haec bene fuerint collocata?* dubius atque anceps non sum, quid respondeam. Sollertiori enim explorationi nunc subiiciam omnia illa, quae tanta orationis vbertate in *urgendis veterum librorum interpretationibus germanis* attulerunt, ut luculentissime appareat, *praeter veritatis utilitatisque speciem*, nihil omnino in illis reperiri, quo aliquam saltem attentionem mereantur. Iam primum, quo *priscorum Graecorum Romanorumque scriptores explicandi lingua vernacula* studium eruditos ad se allicere putabatur, hoc erat: *linguae patriae laetitia atque copia augetur, si scriptores classici in eandem studiose et accurate transferuntur.* Animo studiosissimo paratissimoque omnibus illis assensum praebeo, quae *istiusmodi interpretationum* suaflores *de emendationis sermonis patrii necessitate* statuunt, et alio tempore, cum *DE NIMIA HVIVS SERMONIS CVLTVRA, HODIERNAE BARBARIAE CAVSSA*, dissererem, multo maiori feruore, ne domestica ignorantia infuscatas, aut dissimulatae acerbitalis nota dignas viderer, veram animi mei sententiam candide professus sum, quum si, vel in angustias reuocatam, in praesentia repeterem, et *Lectori*, et mihi nauseam excitarem, sed nihilo minus haud scio, cui culpam tribuam, quod non intelligam, quid *classicorum scriptorum interpretatio germana ad laetitiam copiamque linguae vernaculae* conferat, nisi forsasse ingenio hebeti atque obtuso. Id quidem non est, de quo dubito, quin is, diuina illa antiquitatis monumenta qui in *sermone germanum* conuertit, *suae exercitationi* prospiciat, *sibi*que maiorem *linguae patriae facultatem* conciliet, quid vero emolumenti in

ipsam hanc linguam ex labore isto redundet, ego saltem nondum per-
 ipicio. Ad laevitatem enim quod attinet, quomodo illa in lingua ger-
 mana augeri potest ope graecae et romanae? qui aliquam modo cum
 interiori ha. um vetustatis linguarum ingenio familiaritatem contraxe-
 rit, illi non opus est, vt copiose confirmetur accuratissima, quae inter
 has linguas intercedit, similitudo, quidquid elegantiae atque suavitatis
 romana habet, id omne debet graecae, sed germana quanto per se ab illa-
 rum vtraque distat! asperitas atque durities ista, quae eius propria est,
 singularum syllabarum compositione nititur, et vsu temporum, ver-
 borum collocatione, et integra periodorum conformatione, in qui-
 bus omnibus Germanorum lingua ab artificio cogitandi loquendique
 ordine, atque innumerabilibus varietatibus commutato, quam longissi-
 me recedit, multo ingratius redditur. Haec omnia, quae tamen
 ipsam linguae nostrae indolem constituunt, ideoque ab illa seiungi
 non possunt, prius sunt tollenda, quam ad graecae et romanae exem-
 plum formari atque accommodari possit. Copia vero vocum quas
 accessiones, ex germanis scriptorum classicorum explanationibus sperare
 potest? non necesse est, vt germanum vocabulum iam sit in promptu,
 cum in transferendo graeco, vel romano versaris? scriptores praesent-
 tes, quos Patria fertilissima tulit, ingenti vocum, recens procularum,
 cumulo linguae nostrae diuitias exaggerarunt, sed adhuc sub indice
 lis est, quot Graecos et Romanos plurimi legerint, et germane verte-
 rint? Equidem nonnullas eiusmodi interpretationum, nouissime in lu-
 cem editarum, euolui, et vel maxima cum attentione consului, vt,
 tanquam nouarum vocum venator, copias illarum maiores consequerer,
 sed mihi non contigit, vt vllam inuestigarem, nisi quam iam dudum
 in libellis aliis, maxime in commentariis quibusdam publicis, qui illos
 in censum vocant, indagaueram. Neque fieri potest, vt, propter
 eandem, de qua modo dixi, dissimilitudinem, lingua germana ma-
 gnas accessiones a graeca et romana nanciscatur, et nemo facile erit,
 qui, illius linguae historiam edoctus, contendere velit, interpretationes
 illas, quae antecedentibus saeculis in adpectum publicum prodie-
 rint, eiusdem linguae abundantiae, vel pro illorum temporum ratione,
 consoluissè, iisdem potius, quae tunc temporis iam obtinebant, vte-
 bantur vocibus, dicendique formis, et testantur, quae tum fuerit ser-
 monis patrii conditio, Fumum igitur vendunt, (sit venia dicto)
 praetereaque

praetereaque nihil, qui de meritis illorum in *linguam germanam* gloriantur, qui *scriptoribus antiquitatis germane explicandis* tempus studiumque consecrant, aut, quod humanitas, pro temporum nostrorum elegantia postulat, *ego maiori ingenii tarditate laboro*, quam qui eiusmodi merita accurate iudicare possim. Hinc feliciora tempora, quae sapientiori aetati conuenientiore sensum intelligentiamque mihi afferant, expectans, ad alterum locum progredior, ex quo eandem *harum interpretationum* praestantiam deducere conantur, quique hic est: *sensus vetustis veterum Graecorum Romanorumque scriptis optima et facillima ratione acuitur*. Alienissimus sum a suspitionibus, et, quamquam *prudentiam* scio existimari, *non facile credere hominibus*, malo tamen centies *in hanc partem* decipi, qua credo, OMNES homines esse integros, quam semel *in alteram*, maxime, cum iam dudum in eam consuetudinem adductus sum, ut non quidquam sit, quod aequiori animo feram, nisi dissensum in *opinionibus atque consiliis*, sed dum talia de *vetustis Graeciae Italiaeque monumentis* audio atque lego, *his nostris temporibus prolata*, vix auribus atque oculis fidem me habere, non diffiteor. Verbis vero dedarari non potest, quanto pere pectus mihi incalescat, et quo *animi* motu agerer, eiusmodi quid legens atque audiens, haec, haec, quae redit, Patriae nostrae erit aurea aetas, haec, haec felicissima, ut ceteris, ita liberalioribus artibus, erunt tempora! quibus et *simplicitatis*, et *pulchritudinis*, verbo, quibus *vetustatis* in omnibus artibus gustum, quem nemo ingenuus ac politus habere nolit, debemus, nisi *reliquis illis Graeciae atque Romae?* harum intelligentia delectationem non modo affert sensibus, sed pacit etiam animum, acuit ingenium, vitamque ipsam elegantiore reddidit, ex illis, depulsa philosophiae scholasticae barbarie, vera sapientia humana in lucem ac paene vitam est reuocata, illarumque studium si rursus in contemptum atque odium venerit, ignorantia atque superstitio in pristinum gradum rursus enitetur, pristinaeque tenebrae ingenii artibusque rursus offundentur! Attamen, heus, dicas mihi, quid opus sit *versionibus*, quae vulgo dicuntur, tam *aliis* linguis, quam *germana*, expressis? illas sequi, nihil aliud est, quam *de sole ex imagine eius picta vel ficta iudicare*. Interpretatio enim nulla exemplar plene exprimit, summa industria quamvis confecta. Quam labem oculis licet cernere ex *H. V. E. T. I.* bonae frugis libello *de interpretatione*.

pretatione. In illo primo de optimo genere interpretandi praecipit egregie, et, quanto ingenio, quanta sit diligentia opus, monstrat, ea vero postulat, quae nullus vnquam perfecit interpret, nec perficere potest. Deinde claros interpretes numerando percenset, quorum tamen nemo reperitur, cui non sint vitio quaedam ducta, vt nihil possit aptius hanc in sententiam dici, *HIERONYMI* iudicio, in prooemio ad *EVSEBII Chronicon.* *Difficile, inquit, alienas lineas insequentem non alicubi excidere, et arduum, vt, quae in aliena lingua bene dicta sunt, eundem decorem in translatione conseruent. Significatum est aliquid vnius verbi proprietate, non habeo meum, quo id efferam, et, dum quaero implere sententiam, longo ambitu vix breuia spatia confusmo. Si ad verbum interpretor, omnia absurda resonant, si ob necessitatem aliquid in ordine, vel in sermone, mutauero, ab interpretis videbor officio recessisse.* Haecenus ille, *optimus ipse interpret.* Quid multa? qui scripta in alium sermonem conuertunt, nonne in praefatione veniam petunt, *si qua fuerint non satis affectui?* Sunt tamen varia librorum genera fecernenda. *Historici,* qui proprietati student, et *oratores* transferri facilius possunt, longe difficiliore *poetae,* quorum nullus est, quin pulchritudinis multum in aliena lingua perdat. Quid, quantumque interfit, *ITALI,* qui veteres interpretandi facultate omnes alias gentes superant, exemplo suo clarissime docent. Fontes, in bibliothecis collectos, *monile aureum* vocant, interpretationes *monile argenteum.* Quis sanus autem non praefert aurum argento? Quodsi accurata cruditio ea est, quae e *fontibus ipsis,* non e *lutulentis interpretationum riuulis,* est ducta, quasque leuere et industrie ad disciplinae cuiusque leges est exacta, non facile quisquam reperietur, qui, promptae et exquisitae doctrinae cupidus, hac opinionis leuitate feratur, vt honesta specie obductam ignorantiam cognitionis firmitati atque constantiae praefereendam censcat. Ex ipsis hauriet fontibus, ne titubet, aut vacillet cum illis, qui saepe vel infortia, vel negligentia, vel aliqua imbecillitate lapsi sunt, veris explicandi subsidijs adiutus, ex ipsis antiquitatis libris *venustotus acuet sensum,* abiiciens omnes illorum interpretationes vernaculas, veluti *crepundia puerilia, casulas chartaceas, arundinesque longas.* At vero multi, dices, inueniuntur, qui nullius linguae, nisi germanae, cognitionem tenent, quique *veterum historiae, philosophiae, aliarum disciplinarum atque artium scientiam, germanarum*

germanarum interpretationum ope, in suam utilitatem conformationemque conuertere possunt, et hoc tertium est argumentum, quo eiusmodi vertendorum veterum scriptorum studio gratia, eaque permagna, conciliari putatur. Cuius ordinis atque dignitatis illi sint homines, qui in nullius, nisi germanae, linguae cognitione versati sint, quorumque nihilominus interfit, doctae antiquitatis opera historica, imo philosophica, aliaque sibi cognita atque perspecta reddere, ego vel cum ignarissimis nescio. Gallicae certe linguae, in quam omnia fere Graecorum Romanorumque scripta translata sunt, tam late patet inter Germanos familiaritas, ut quilibet, siue sit vitae militari, in gradu quodam eminentiori, siue mercaturae quaestuosae, deditus, illam calleat, imo, qui modo aliqua, nostrae aetati elegantiori accommodata educatione inde a pueritia fictus atque formatus est, is fere prius Galorum sermonis, quam patrii, consuetudine usus est. Sed missa faciam, quae parum ad rem, in qua cardo vertitur, conferunt, hoc potius quaeram, quid iis omnino omnibus, qui vitae in literis degendae se non dederint, veteris historiae, quid? quod, philosophiae peritiam, ad exercendas artes suas illiberales, conducat? nonne eiusmodi hominum, qui ad opinionem usque docti sunt, elusionem quadam inundabimur? ego saltem toto iam corpore contremisco, si perpendo, breui fortasse tempus esse venturum, quo sartores, atque sutores, sordibus haud mediocriter oppleti, aut mercatores saltem, qui de foro decesserunt, mecum non solum de THUCYDIDE, POLYBIO, atque LIVIO, sed etiam de summo SOCRATE, PLATONE, ARISTOTELE, confabulari cupiant, scio enim, quam cerriti, quamque periculosi sint omnes illi, qui sibi sapere videantur. Qui porro de vera disciplinarum atque artium indole accuratius iudicierint, iis mecum conveniet, multa subsidia, institutionis ope, prius nobis fuisse acquirenda, quam ad interiores illarum literarum recessus penetrare poterimus, quid igitur de illis sentiendum putes, qui, omni disciplinae atque palaestrae adiumento ac meditatione destituti, hoc sibi proponant, ut historiae et philosophiae antiquae addiscendae mentem asperam atque incultam intendere velint? multi quidem huic penuriae talium hominum ita mederi se posse persuasum habent, si notulas, quibus lux interpretationi inferatur, adperserint, sed nunquam fieri potest, ut semper et ubique locorum ad rudiorum captum tam alte descendere

descendere queant, vt, *ubicunque opus sit*, ignorantiae stuporique succurrant, eiusque desideria sic expleant, vt nihil superfit, quod ipsi obscurum intellectuque difficile videatur. Quantum denique diuinare possum, credo, fore, vt *longe alios emtores ad sese alliciant germanae istae scriptorum classicorum interpretationes*, quam, *qui literas neglexerint*. Praesentis aetatis, quae ingenii lusibus et lepidis studiis magis, quam seriis atque seueris, delectatur, sensus non is est, quem antiquitatis monumenta exigunt, *iuuenes nostris*, qui vel minimas difficultates in discendo fugiunt, et *multi alii*, qui doctis annumerari solent, qui vero contra inscitiae suae conscientiam ita obdurnerunt, vt, quanto minus accurate rem quamque sciunt, tanto confidentius in iudicando versentur, hi, inquam, cupidissime, et quouis pretio sibi comparabunt istiusmodi libellos, quod ad labefactandas et e summo gradu ad infimum praecipitandas literas crit aptissimum. Fortasse vero *quartum* argumentum, quod praestantiam *germanarum scriptorum classicorum versionum*, quae dicuntur, confirmare creditur, quamuis postremum, validissimum tamen est, age, illud repetas! *accuratae interpretationes mirum quantum conferunt ad felicissimam horum librorum explicationem*. Pace tua, hoc est, quod omnino negem. Vel *accuratissimum* in transferendo studium nihil amplius nos edocet, nisi hoc, interpretem hunc itemque alterum locum hoc, vel illo modo, intellexisse, sed quo sponse freti iudicare possumus, illum in interpretando non aberasse a vero? quid? repugnantiam quoque inuoluit, si dicis: *accuratae interpretationes felicissimae explicationis inseruiunt*. Quomodo enim interpretationem aliquam *accuratam* praedicare potes, nisi antea ipse locum illum, eiusque vim percepseris? illius vero mentem si iam antea cognoueris, qua ratione contendere potes, *interpretationem felicissimae explicationis esse subsidium?* vbi nam denique sunt eiusmodi *interpretationes*, siue sint *peregrinae*, siue *vernacula* lingua conceptae, quae *accuratae* nominari mereantur? non, credo, sat multis exemplis constat, quam saepe, quam grauius interdum vel doctissimi in hoc genere homines errarint? *duos* praefecim, si angustiae, quas in praesentia me cohibent, id paterentur, copiosius nominarim, alter est *BITAVBE*, alter *DE LA BRUYERE*, (viri inter Gallor, vt constat, maxime conspicui) quorum *illum* si consulo, semper cum *HOMERO* dormire, quam *HOMERVM* ab inter-

interpretē e ὁμοῖο ἐκταρῆ, malo, *hinc* si sequēter, non semper THEOPHRASTVM haberem, quem CICERO delicias suas, teste PLVTARCHO, vocauit. Ex innumeris, quibus hanc sententiam probare possim, exemplis, haec tantum eligam. HOMERVS *Iliad.* γ. *versu* 81-94. HECTORVM cum Graecis, vt certamen singulare suadeat, ita loquentem fingit:

Ἰσχεσθε, Ἀργεῖοι, μὴ βάλλετε, κῆροι Ἀχαιῶν
 Στεῦται γάρ τι ἔπος ἐρέειν κορυθαίολος Ἔκτωρ.
 Ὡς ἔφαθ'· οἱ δ' ἔσχοντο μάχης, ἀνεί τ' ἐγένοντο
 Ἔσσημένως. Ἐκτὼρ δὲ μετ' ἀμφοτέρωσιν εἶπε·
 Κέλνυτέ μιν, Τρῶες, καὶ εὐκνήμιδες Ἀχαιοί,
 Μῦθον Ἀλεξάνδροιο, τῷ ἕνεκα νέμος ὄρασεν·
 Ἄλλως μὲν κέλευται Τρῶας καὶ πάντας Ἀχαιῆς
 Τεύχεα καλ' ἀποθέσθαι ἐπὶ χθονὶ πυλυβοτείῃ.
 Ἄυτον δ' ἐν μέστω καὶ ἀεπίφρον Μενέλαον,
 Ὅϊς ἀμφ' Ἑλένη καὶ κτήμασι πᾶσι μάχεσθαι
 Ὀπποτέρως δὲ κὲ νικήσῃ, κρείσσων τε γένηται,
 Κτήμαθ' ἐλὼν εὖ πάντα, γυναῖκά τε, οἰκῶ ἀγέσθω,
 Ὅι δ' ἄλλοι φιλότῃ καὶ ὄρκια πῖσά ταμῶμεν,

sed quomodo mutilat et accelerat hanc HECTORIS orationem ΒΥ-
 ΤΑΥΒΕ, sic transferens: *Hector s'avance ensuite vers les Grecs, (qui
 s'accablent d'un nuage de traits, l'oisin te titusκόμενοι λάισσί τ' ἐβαλ-
 λον) et ordonne, qu'on le laisse approcher sans obstacle. Grecs et
 Troiens, dit Hector, econtés, ce que Vous propose Paris, l'auteur de
 cette guerre. Il demande à combattre seul contre Menelaus: Helena
 suivra le pas du vainqueur, et nous jurerons à la face des Dieux une
 alliance éternelle.* Admirandum sane felicissimas explanationis adiu-
 mentum! qui alia adhuc ab hoc Gallo legere cupit, is maxime con-
 ferat eius interpretationem *Iliad.* γ. *versu* 99. *sequi.* vbi HECTO-
 RIS magnificentissimum, quod vnumquemque sane tenet lectorem,
soliloquium, quod dicitur, et miserabilis ipsi videbitur *Gallus*, ego ad
 THEOPHRASTVM progredior. Statim cap. I. *περὶ Ἐργωνείας* haec
 verba leguntur, quae varias mutationes perpessa sunt: *πρὸς τὰς δα-
 νειζομένους καὶ ἐρανίζοντας, ὡς ἔ' πωλεῖ καὶ μὴ πωλῶν, Φήσει πω-
 λεῖν*, et BRVYERE, *gallus iste garrulus, ita vertit: il dit à celui,*
 qui

qui lui emprunte de l'argent à l'intérêt, ou qui le prie de contribuer de sa part à une somme que ses amis consentent de lui prêter, qu'il ne vend rien, qu'il ne s'est jamais vu si dénué d'argent, pendant qu'il dit aux autres, que le commerce va le mieux du monde, quoiqu'en effet il ne vende rien. *Quam felicissimam explicationem!* neque accuratior est BRUYERE in capite tertio, πειρὶ ἀδολοχίας, quinto, πειρὶ ἀρεσασίας, et in multis aliis, mihi eiusmodi dapes nauseam iniiciunt. Tutores habemus in arte interpretandi auxilia, ut non opus sit *versionibus*, quae, etiamsi vel absolutissimae sint, tamen non id tibi praestant, quin, ipsis si adhaereas, saepius trepides, lapsus periculo ac metu, quam si reliquas, easque constantiores atque firmiores, disciplinae explicandi regulas obseruaueris. Quid igitur ex his omnibus, ut spero, satis luculenter apparet? *quatuor* illis argumentis, quae *germanarum scriptorum classicorum interpretationum* commendationi haud parum prodesse putentur, nihil, nisi *utilitatis speciem*, inesse, qua quidem detracta, non sit, quod illarum suavoribus de ipsorum sapientia gratulemur. Probe sciunt, paucos aequalium suorum seuera lege proficere, plurimos per amoena ambulare velle, hinc, illis ut gratificentur, omne tribuunt, et, aut simulatione quadam studii literarum ardentissimi, aut vera imprudentia, accuratae eruditionis ruinam atque interitum accelerant.

Sed, ne caudicem, stipitemque, aut plumbeum me putent, si negem, *eiusmodi interpretationes* quidquam utilitatis afferre, opus est, ut nunc *vera illarum commoda* recenseam, quae quidem commemorata non sunt, sed tantae sunt grauitatis tantique pretii, ut, nisi iisdem ad mutandam fere sententiam commoueri me fatear, aut nihil utique viderim, aut iniquissimum me omnium ostenderit. *Quam* facile fieri potest, ut in enumerandis cuiuscunque rei emolumentis *opinata* commisceantur, aut permutentur cum *veris*, et, pro mentis humanae imbecillitate, non tam *horum*, quam *illorum* habeatur ratio, ex quo nihil omnino inuidiae atque odii constatur ipsi rei, parum di-gne aestimatae. *Primus* sane fructus, quem ex *germanis scriptorum classicorum versionibus*, quae vulgo vocantur, capere possimus, cernitur in *delectatione illa*, quae ex *ipsarum comparatione proficiscitur*. Plures saepe eruditi in *transferendo uno eodemque scriptore* occupati fuerunt,

fuerunt, quorum quilibet suam in vertendo secutus est disciplinam, et pro sua viriusque linguae cognitione elaborauit, ex quo necessario maxima saepe nascitur differentia. Vnus ad singula verba, tanquam ad saxum, adhaerescit, religioni sibi ducens, a critica, etiamsi possit, vel transuersum vnguem recedere, alter ingenio laxat frena, non studiose sectans quamlibet vocem, sed solam sententiam cum liberalitate, imo licentia quadam, tertius menti, quam exprimere voluit scriptor, proprior accedit, quartus, aut negligentia, aut insectia deceptus, ab illa mirum quantum deflectit, quintus se totum fere accommodat scriptoris indoli, eamque quodammodo suam facit, sextus magis ad aetatis, cui transfert, quam cui vixit scriptor, mores humanitatemque respicit. Quos omnes si inter se contuleris, suauissimae exinde oriuntur oblectationes atque deliciae, quae, quia non ad corpoream voluptatem, vt in cibis, potu, aliisque rebus, sed ad mentis ingeniique culturam, referendae sunt, liberalissimae maximeque ingenuae iudicari debent. Sed in rebus, ad animum fingendum pertinentibus, cum non sola suauitas spectanda sit, nosque verae utilitatis magnitudine, ad eas magnificendas, magis commoueamur, quam sola iucunditate, iam ad alterum commodum progredior, ex *vernaculis vetustatis librorum interpretationibus* deriuandum. Non quisquam ignorat, quibus temporibus poësis, aliaeque artes liberales, in *Graecia* et *Italia* maxime floruerint, iisdem abscessissimam ibidem fuisse picturam, statuariam, architecturam, ceterasque eiusmodi artes, certe elegantissime tum de talibus rebus homines iudicasse. Multa igitur in *scriptoribus classicis* occurrunt, quae aut studiose de his artibus agunt, aut veloti in transitu illarum pulchritudines, vitiaque contra ipsarum regulas commissa, attingunt, maxime conspicuorum antiquitatis artificum opera describunt, totamque fabulosam veterum historiae numinumque cognitionem continent. Quare quemadmodum ii, qui veteres *Graecorum Romanorumque* libros vel in lucem protraxere, vel emendare et explicare instituerunt, praeclare de vniuerso genere humano merentur, propterea quod ex iis libris omnis vera sapientia humana petitur, sic et ii non minus profunt nostris pictoribus, statuariis, atque in aeneas laminas incidendi, qui hos libros, horum artificum gratia, *lingua vernacula* exprimunt, quam qui reliqua vetustatis *graecae et romanae* opera e visceribus terrae eruenda curant. Ad

omnem posteritatem victuro beneficio omnes eiusmodi aetatis nostrae artifices afficiunt, acuunt illos ad venustatis, quae talibus artificibus attribuenda est, sensum, illosque tanto artium suarum studio incendunt, ut omnia specimina sua ad antiquitatis exempla quam diligentissime componere atque exigere studeant. Nunc, alter prodibit ZEUXIS, qui nobis, non CROTONIATIS, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem in sese imago contineat, HELENAE pinget simulacrum, nunc alter surget PROTOGENES, qui virilem IALYSI dignitatem, ut apud RHODIOS, sic apud nos imitabitur, nunc alter nascetur APELLES, qui COAE VENERIS imaginem in Germanorum patria absoluet, nunc alter PHIDIAS innotescet, qui IOVIS OLYMPII simulacrum formabit, nunc alter POLYCLETVS inlarescet, qui DORYPHORI statuam conficiet, quam ipse LYSIPPVS, cui soli ALEXANDER effigiem suam fabricandam committere voluit, sibi magistrum fuisse, confessus est. At vero, ut integre dicam, quod res est, hoc commodum ex germanis scriptorum classicorum interpretationibus profluens atque emanans, quamuis magnae sit praestantiae atque excellentiae, tamen longe aliud adhuc, idque ipsorum interpretum rebus magis inseruiens, quod postremo praedicem atque augeam, restat. Querimonias, quae de praesentium temporum difficultate ab unoquoque fere mouentur, non facile quisquam iustiores acquireresque censet, quam cum ab iis iaciuntur, qui, vitae eruditae dediti, aut in statuorum redituum tenuitate acquiescere, illaque contenti esse debent, aut, *peculiaris fati turbis atque procellis agitati, a munere publico remoti, sunt.* Quamquam enim vitae atque naturae necessitas inde ab illo tempore, ex quo publicorum prouentuum multitudo atque magnitudo iis, qui ad rempublicam accedunt, constituta est, semper adhuc eadem reperitur, neque vlllo modo aucta est, luxuriam tamen, siue potius decorum illud externum, a quolibet, nisi qui morosus, difficilis, et inhumanus haberi cupiat, obseruandum, tot, tamque varia, et in victu, et cultu, recepit, ut impensae, redituum numerum plerumque excedentes, multum afferant vexationis atque sollicitudinis. Huc accedit, quod in tabernis librariis libri latine scripti, quibus conficiendis pecuniam cogere possint eruditi, non tam studiose quaeruntur, quam libelli germani, quodque bibliopolae, quia verentur, ut sumtus, quos in latinos libros

libros edendos impenderint, ipsis compenseantur, nullo modo persuaderi sibi patiuntur, ut illis, publicum in usum emittendis, manum admoueant. Quid inde? *fames etiam coruos cogit, voces humanas tentare!* saluberrimum igitur consilium hoc est: *nihil amplius restat, quo rebus tuis prospicias, quam, ut lucri quid scriptis Germanis, tibi concilies, aut, quia VERNACULAE ANTIQVITATIS MONVMENTORVM INTERPRETATIONES tam prolixae tanque grauitate commendantur, INTERPRETIS GERMANI partes, ad panem lucrandum, suscipias.* Hac felici pecuniae colligendae facultate utendum est, *urgenda occasio, et agenda sunt omnia, ne tanta opportunitate committas, ut tibi desuisse videaris.* En igitur haec sunt vera illa commoda, quorum fons atque origo ex *germanis scriptorum classiconum interpretationibus* deducenda est, et quis est, quin illa permagna censeat? *Maliuolus sane est, aut mentis supore occoecatus, qui vquam quid profert, quod rei tam utilis atque frugiferae pretium minuat!*

Minime. Omnia potius *haec bona*, quae tantopere collaudari possunt, ut, quidquid ipsorum laudi aduerfetur, *inuidenticiae* aut *stultitiae* calumniam sibi contrahat, non tanta sunt, ut *damnum compenseant, quod literis atque artibus important.* Non raro enim accidit, ut res, quam certa quadam ratione vtilissimam praedices, altera ex parte perniciosissima nominari mereatur, et ipsa vita communis innumeris exemplis comprobatur, quoties *commoda cum incommodis* inter se sint coniuncta. *Sapientiae* tunc est, *haec ab illis accurate fecernere, et sollicitate perquirere, quae sint grauiora, sicut probitatis est, atque prudentiae, si, commoda sint maiora, incommoda necessaria non fugere, sin contra, his illa postponere.* Eadem est *germanorum scriptorum classiconum interpretationum* ratio, et *detrimentum*, quod literarum studiis afferunt, ut confirmem, hoc vnum adhuc superest. *Sic scripta optima e manibus permultorum hominum, quorum lectio illorum quam plurimum interest, tolluntur.* Inhumanitatis enim ne sim conuincendas, non metuo, si dixerero, tempora nostra ita *inclinaffe ad ignauiam*, ut nihil magis, nisi *diligentiae molestiam*, fugiant homines, *ardua illa via*, quae ad accuratam in quocunq; doctrinae genere scientiam ducit, multos deterret, quasi operae pretium non sit, *eruditionis*

tionis exquisitae consequendae gratia, vel grauiora et molestiora facere ac perpeti. Seueritas illa, quae in addiscenda veterum Graecorum Romanorumque lingua, a fidelissimo quoque magistro commendatur, quaeque ad iustam cum illis linguis contrahendam familiaritatem utilissima est, aetati nostrae tam parum accommodata videtur, ut perpauci illam subire ac suslinere, quam lenitatem commoditateque sequi, malint, et exercitationis assiduitas, quae omnia ad tot regularum subtilitatem reuocat, homines, quamuis illis acclamemus: *durate, et vosmet rebus seruate secundis!* prius fatigat, quam sunt subacti. Exoptatissimum igitur huius ignauiae, languoris, atque desidiae adiumentum praebent *germanae istae scriptorum classicorum interpretationes*, neque dici potest, quam cupide desiderentur. Hi enim sunt scriptores illi, qui omnis sapientiae humanae, atque venustatis fontes dicuntur, qui tamen multis, iisque odiosis, *Grammatices* atque *Critices* subsidiis sunt aperiendi, quanto igitur gaudio perfunderentur illi, qui, rigidae disciplinae aduersarii, quascunque difficultates animo non tam suspensio, quam pigritiae turpique otio dedito, euitare student, et nihilo minus, ut docti habeantur, ex iisdem fontibus haurire, aut saltem illos delibare cupiunt! *Iuuenes* nostri, qui per se iam aetati magis, quam *Humanitati* indulgent, mentis vires non satis intentas habebunt magistrorum obseruationibus, ad *linguarum* antiquarum indolem, elegantiam, venustatem, ornatumque pertinentibus, *germano suo interprete* innixi, sibi iam sapientes videbuntur, in sententia, utcunque intellecta, acquiescent, parum solliciti de eo, quod ad accuratiorem eius intelligentiam, ipsamque *linguam* referendum est. Quid loquor de *iuuenibus*, quos semper ad id proclius esse constat, quo labores, *in literis colendis*, infringi atque superari videantur, et qui vnicuique adhaerent, qui in remouendis impedimentis, iisque vel leuissimis, *quamuis diligentiori eruditioni acquirendae noceat*, studiosissimus est? illi quoque *viri*, qui aut in eo occupati sunt, ut iuuenum ingenia scriptorum classicorum lectione exerceant atque contineant, aut in quocunque alio vitae eruditae genere magnae doctrinae gloriam appetunt, studium in illis explicandis remittent, harumque *vernacularum interpretationum* angustis veterum illorum monumentorum cognitionem coerebunt et cohibebunt. Ad quam suspicionem ab omni morositatis specie defendendam, nonnulla exempla

empla domestica in promptu haberem, sed, quia urbanitati prudentiaeque repugnaret, talia proferre, quae odium constarent, in *exteris* exemplis subsistam. Formidolosi isti viri, qui inter *Gallos* vixerunt, quique HOMERI nomini atque gloriae, impetu hostili, multum detrahere studuerunt, vnde tela sua contra hunc omnis sublimitatis *veritatisque* parentem sumferunt? FERRAYLT, omnis Graecitatis rudis atque expertus, sola ingenii alacritate, et sensus feueritate quadam instructus, *Homerum latinum* transferebat ad verbum in linguam patriam, LA MÔTTE, ob linguae graecae ignorantiam, ubique locorum premebat vestigia vxoris DACIER, solus TERRASSON, qui longe tamen inferiorem locum HOMERO vindicabat, quam obtineret CHAPELAIN, sermonis graeci cognitionem tenebat. Non putas, eiusmodi quid in *Germania* accidere posse? quo pignore mecum certas, negans, parum esse, quo *Germanorum* atque *Gallorum*, in colendis literis humanioribus, differat nimis leuitas, commoditatisque studium? quid vero eveniet, cum *Germanorum* seruo in legendis ipsis Graecorum Romanorumque libris non modo tepuerit, sed iestixerit? non gliscet *Barbaries*? NULLA INTERPRETATIO, QUAMVIS VEL ACCURATISSIMA, ET DILIGENTISSIMA, EASDEM HABET VENTATES, QVAE FONTIBVS INSUNT, MULTAS ADULTERINAS HABET ET FVCATAS, NEQVAM VERO INGENVAS ATQVE INTEGRAS. Ipsorum *Gallorum*, quorum aemulatio tam sollicitè nobis *Germanis* iniungitur, exemplum satis luculenter collustrat, quae calamitas, si eiusmodi *interpretationibus* tantum concesserimus pretium, bonis literis impendeat. Quodsi enim vlla gens in *transfereendis scriptoribus classicis* indefessa atque assidua fuit, *gallica* sane nominari meretur, propterea quod nullus fere illorum scriptorum restat, quem non verterit in linguam patriam, et nihilo minus ita concussa et labefactata est ipsius huius gentis literata respublica, vt, quidquid ab illa literatum monumentis in praesentia consignatur, id fere omne positum sit in *sterilibus commentariolis*, quos *memoires* vocant, in *compendiis*, siue *breuariis*, inscriptionem *spirit* in fronte gerentibus, in *carminibus*, *frivolis ingenii lustris refertis*, in *scriptis Romanensibus*, in *ludis scilicet*, qui *canendo peraguntur*, et quae sint reliquae *eruditae quisquiliae*. Utinam igitur omnes, qui animum ad *conficiendas veterum scripto-*

rum germanas interpretationes appellere constituerunt, tam amantes tanque studiosi sint Patriae, ut, damnnum, quod illi important, cum commodis illis, quae antea recensui, probe ponderantes, non haec sequantur, sed illud metuant! vtinam Germania diutius gloriam illam obtineat, quam consecuta est, MELANCHTHONIS, praeceptoris sui, et CAMERARII imagines venerans, horumque exempla imitans!

Haec, quae praesenti aetati dederim, sufficiant! quomodo enim animi, intimae laetitiae motu agitati, sensum diutius comprimere possum? Ceras *Lycei* nostri, (cui Deus semper faueat!) ante hos *ducentos quinque et viginti* annos aperti et constituti, *dies natalis* celebrandus est, quo nos *magistri cum iuuenibus nostris carissimis* providentiae divinae documentorum memoriam grata piaque mente reuocabimus. Deus benignissimus *SVMME REVERENDO PRAESVLI ET AMPLISSIMIS PATRONIS*, ipsique *scholae nostrae*, per totum annum praeteritum, tutelam praesidiumque praesitit fidelissimum, nobis *praeceptoribus*, in docendo et monendo, auxilio potentissimo praesto fuit, et *discipulis nostris, quos omnes intime diligimus*, tam iucundissimos in *Virtutis Sapientiaeque* curriculo progressus, quam *liberalissimos beneficiorum auctores*, largitus est, hinc pietatis atque religionis patamus, illi gratias non solum agere integerrimas, sed illius etiam providam curam, quae in posterum quoque pro nobis omnibus ac singulis euigilet, ardentissime implorare. *Quatuor* igitur *iuuenum nostrorum, quibus praecipua honestatis atque industriae laus concedenda est*, has partes susceperunt, ut *DEO* haec sacra officia, et *magistrorum*, et *suo commilitonumque nomine*, persoluerent, et simul *SCHROEDERI* in scholam liberalitatem, cuius memoria *eodem die* insularanda est, iustis laudibus auerent. Nimirum

- I. CHRISTIANVS AVGVSTVS PEVNDIVS, Iessena-Saxo, oratione *germana* praedicabit *providentiam diuinam in conseruando Lyceo conspicuam*.
- II. CAROLVS GOTTFRIED HESSIVS, Torgauientis, lingua *latina* comprobabit *publicarum scholarum, priuatis anteponendarum, principatum*.

His

His Iuuenibus usque Ornatissimis, qui, finitis orationibus, lingua patria scholae dicent Vale, quosque tenerimo amplexu semper foui, summi Numinis gratiam, optimaeque fortunae constantiam, omni animi integritate studioque apprecor.

III. IOANNES AVGVSTVS SCHMIDIVS, Dahlia-Misnicus, sermone latino disseret de probitatis cum literarum studio in scholis coniungendo, et Amicis, scholam cum Academia commutantibus, lingua vernacula felicissimum fauissimumque optabit abitum.


IV. IOANNES CAROLVS PEPPELIVS, Annaburgensis-Saxo, declamationem germanam habebit de amore patriae, praeclearo iuuenilis industriae incitamento.


Quos iuuenes, vt PRAESVL SACRORVM SVMME REVERENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, MINISTRI SACRORVM PLVRIMVM REVERENDI, PRAECEPTORES LYCEI CLARISSIMI, omnesque Musarum bonarumque artium FAVTORES HONORATISSIMI, cras hora III. post meridiem beniuole audiant, et frequentia sua diei nobis iucundissimi celebrationem augeant, obseruantissime et humanissime oro rogoque. P. P. Torquiae a. d. III. Kalendar. Martiar. A. I. S. MDCCLXXXII,





III. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 IV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 V. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 VI. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 VII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 VIII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 IX. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 X. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XI. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XIII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XIV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XVI. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XVII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XVIII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XIX. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XX. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXI. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXIII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXIV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXVI. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXVII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXVIII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXIX. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXX. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXXI. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXXII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXXIII. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXXIV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
 XXXV. Iohannes Carolus Philippus, Anno 1720.
































AB: 155056

ULB Halle
003 085 112

3





TR → SL
nur 75 fll /

R

1077







69

DE
GERMANA SCRIPTORVM
CLASSICORVM INTERPRETATIONE
NOXIA MAGIS QVAM FRVGIFERA

PROLVSIO

QVA

AD SOLEMNEM IN DICENDO EXERCITATIONEM
DIE LYCEI TORGAVIENSIS NATALI

BENIVOLE AVDIENDAM

HVMANISSIME INVITAT

M. CAROLVS HENRICVS SENTENIS

RECTOR

SOCIETATIS LATINAE IENENS. MEMBR. HONORAR.



LIPSIÆ
LITTERIS IACOBAEERORVM

CIDCCCCLXXXII.

1782